







1724, 2

32

Q. D. B. U.

DISSERTATIO  
Medico - Chirurgica Inauguralis,  
DE

# CURATIONE ULCERUM REBEL- LIUM.

Quam.

Consensu Gratosiss. Facultatis Medicæ,  
in Inclayta Gryphiswaldensium Academia,

P R Æ S I D E

VIRO *Præ-Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo*  
*atqve Experientissimo*

**DN. IOH. ABRAHAMO  
MAYERO,**

Medic. Doct. & Profess. Ordinario optimè merito,  
Gratosissimæ Facult. Med. h. t. DECANO,

*Dn. Patrono atq, Promotore maxime observando,*

pro

Summis in Arte Medica Honoribus, Insignibus & Pri-  
vilegiis Doctoralibus rite capeffendis,

*Anno M DCC XXIV. d. XXVIII. Nov.*

*publico Eruditorum Examini submittit*

**JOH. DANIEL CRÜGER, Plat. Pomeranus.**

G R Y P H I S W A L D I Æ,

Litteris DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,  
Reg. Acad. Typogr.





**VIRIS**

*Viri Nobilissimis, Doctisssimis, Amplisssimis, Excellentisssimis,  
Experientisssimis,*

**DN. JOHANNI LEMBKENIO,**  
Med. Doct., ejusdemq; Profess. Ordin. famigeratissimo,  
Urbis Gryphiswaldensis Physico fidelissimo;

**DN. JOH. ABRAH. MAYERO,**  
Med. Doct., ejusdemq; Profess. Ord. optimè merito,  
Facult. Med. h. t. DECANO spectabili;

**DN. ANDREÆ WESTPHALIO,**  
Prof. Philos. Ordinar. celeberrimo, Facult. Philos.  
h. t. DECANO spectabili;

**DN. AUGUSTINO BUDDEO,**  
Med. Doct., Collegii Berolinensis Medico-Chirurgici  
Prof. Anatomiae & Physices sat inclyto;

*nec non.*

*VIRO Spectatissimo,*

**DN. LAUR. GADEBUSCHIO,**  
Pharmacopæo Gryphiswaldensium pruden-  
tissimo;

*Dnn. Patronis, Promotoribus, Fautoribus,  
omni honoris amorisque cultu prosequendis, amplectendis;*  
publicum hocce specimen Academicum,  
perennem incolumitatem apprecatus;

*sacrum esse vult*

**J. D. CRÜGER.**



## A. Ω.

## §. I.



Enuinam ac veram Ulcerum rebellium daturus curationem, non possum, quin in antecessum melioris ordinis gratia pauca de illorum natura, causis, signis atque differentia proferam. Hoc vero ut rite fiat, merito ab Etymologia Ulceris exordior. Derivatur itaque Ulcus à verbo græco *ἔλω* exedo, erodo. Hinc est *ἔλω* Ulcus, erosio, quia Ulcus fit erosione partium solidarum. Germanis audit: Ein Geschwulst.

## §. II.

Sunt vero Ulcera alia *benigna*, seu talia, quæ facile & bene curantur; alia *maligna*, seu *rebellia*. Rebella appellantur à modo & tempore affligendi, unde & à Sennerto vocantur curatu difficilia, græce *δυσπελάωτα*, de quibus nobis sermo erit.

## §. III.

Sunt ergo Ulcera rebella solutiones continui, ab erosione partium solidarum mollium ac duriorum vi humorum acrium & corruptorum, concomitante aliquando inflammatione, originem trahentes, difficulter vel plane non sanabiles, ideoque subiecta ultimè sæpissime ad vitæ terminum affligentes.

## §. IV.

Diris hisce carcinomatibus excruciantur non solidæ tantum partes molles, e.g. musculi, membranae, glandulae, vasa; verum etiam duriores, ossa intellige: adeoque totius machinae pneumatico-hydraulicæ partes



tes quæcunqve, tam externæ, quam internæ; prouti ex sequentibus patebit. Freqventius etiam afficiuntur femina præ viris.

§. V.

Proxima horum ulcerum causa, quemadmodum ipsamet ex definitione apparet, consistit in solidarum partium, vasorumqve humores ducentium erosione & dilaceratione.

§. VI.

Remotiores causæ duplicis sunt generis; interna & externæ. Interna potissimum quærenda est causa in dyscrasia & corruptione humorum, quippe qui, stagnatione prægressa, interjecto temporis intervallo acriores facti, partem affectam erodunt, corrumpunt, & ita effectum de causa testantem, ulcus scilicet valde molestum atqve rebelle producent. Num vero ipsamet M. S. acrimonia, prouti quibusdam placet, ut causa ulcerum rebellium remota veniat accusanda, est de quo valde dubito. Plura enim inde enasci deberent incommoda, & mala ferè innumerabilia. Imo, non solum præcipuæ quædam corporis partes, sed multo plures, imo omnes ab illa essent infestandæ vexandæqve.

§. VII.

Inter causas remotiores externas numerantur contusiones, pressionones, ligaturæ nimis arctæ, & medicamenta corrosiva, vulnera improvide tractata, caro luxurians, vermes, venena, morsus canis rabidi. Haudquaquam excludendus est etiam aër ambiens, frigidus æque ac calidus, cibus & potus; imo, omnes ferme res sex non-naturales. Peccant vero hæc vel in excessu, vel defectu, ut & ratione qualitatis. Platerus album senten-



sententiæ nostræ adicere videtur calculum, *Cap. XVII. Lib. II.* ubi de dolore superficiei corporis agit, pag. 668. edit. in 4to. Humores, inquit, biliosi, salsi & acres, qui scabiem, herpes & carbunculum excitant, ex cibo & potu suum habent principium. Porro dicit: ob eam causam, quæ intemperanter vivunt, & qui cibo pravo utuntur & cacoehymici sunt, hisce sunt obnoxii malis, adjuvantibus etiam aliis causis, quæ calore, motu, aliove modo, ejusmodi humores commovent & eliciunt.

## §. VIII.

Cognitu etiam si ulcera rebellia ab initio sint difficilia, adeo, ut benignis planè æquiperanda, & à multis etiam pro iisdem habeantur; temporis tamen successu pedetentim in apicium veniunt, malitiamque suam ostendunt, spernendo primò usum medicaminum tam digerentium, quam abstergentium. Porro, frustra quoque applicitis omnibus internis pariter atque externis remediis, alias sat laudabilibus, penitus detecta tota saniosa talium apparet natura. Loco puris laudabilis fundunt materiam saniosam, limpidam, acrem & foetidam sæpius. Labia tument, caro livida apparet, flaccida & mollis. Dolor ut plurimum observatur insignis, rubent, pruriunt, ulcusque indies dilatatur, præprimis si inflammatio urget.

## §. IX.

De eventu istorum ulcerum non nisi tristia prædici possunt. In iis enim, qui vel ætate, aut morbo aliquo graviore, v. g. hydrope, aut lue venerea inveterata premuntur, ut plurimum ejusmodi ulcera nunquam curantur; Adolescentes vero, & qui in vigore ætatis adhuc sunt constituti, vix in integrum restituuntur, nisi post



maximos labores, cruciatus insignes, longumque temporis intervallum. Hancce prognosin nobis confirmavit puer, qui, licet ei per triennium optima remedia methodice sint adhibita, ejusmodi ulceribus adhuc laborat.

## §. X.

Præmissis itaque his consideranda jam venit dictorum ulcerum differentia, quomodo nimirum differant inter se. Distingvuntur vero dupliciter, vel ratione figuræ, vel ratione situs, sive loci affecti.

## §. XI.

Differentiam admittere, ulcera rebeliæ figuræ, sive formæ, liquet exinde, quia conspicienda sese præbent cellulosa, callosa, cariota, gyrosa, lata, rotunda, profunda, obliqua, & alia passim obvia.

## §. XII.

Ratione situs, sive partis affectæ, ulcera hæc alia sunt interna, alia externa. Ad internorum classem commode referri possunt ulcus pulmonum (quod satis est rebelle, ob diuturnitatem & malignitatem, quam in curatione ostendit) exulcerationes uteri, renum, &c.

## §. XIII.

Circa externa notandum, quod non vario tantum modò ac genere dispalescant, sed & omnes fermè corporis humani partes ipsis sint obnoxia, tam molles, quam duriores, prouti §. IV. jam dictum. Habemus etenim ulcera capitis, pectoris, abdominis, crurum, tibiarum, & quæ sunt plura, tam benigna, quam maligna, quorum nomina specialia hic recensere supervacaneum puto, e. g. quod sint verminosa, varicosa, Phagedænica, &c. Sufficiat allegasse Cancrum, fistulas, cariam,



cariem, quo & referri possunt exulcerationes omnes, curationem partim spernentes, partim vero, quæ palliativam saltem admittunt: qualia sunt tibiæ exulceratæ, quæ magnum sane requirunt laborem, dexterrimam observantiam, & Chirurgum cautum ac fidelem.

## §. XIV.

Mentionem fecimus §. XII. Ulceris pulmonum, quod jure meritoque rebellium ulcerum numero inferi potest, & quidem propter tenerrimam æquè structuram atque arduum, quo funguntur, officium, respirationem puto; placet itaque quædam de hujus ulceris natura in medium proferre. Et primo quidem loco sequentem ejus ponimus descriptionem, quod scilicet sit pulmonum Eroſio, vel partialis, vel totalis, ab acrimonia humorum rodentium & substantiam pulmonum exulcerantium, dependens, ægros ad ultimum vitæ halitum ut plurimum excrucians. Varia, præter vitiosam aliquando pulmonum à primo statim ortu constitutionem, ipsaque miasmata contagiosa, ab aliis cum aëre ambiente vi respirationis in pulmones admissa, similemque in illis dispositionem inducentia, & hinc ulcus omnino rebelle excitantia, adducere possem; at enim vero, ne præter necessitatem rem cumulare videar, sufficiat allegasse obstructionem, humorumque plenariam corruptionem. Nam, obstructis intrinsecus pulmonibus, non liber tantum sanguini denegatur circulus, sed asperæ in arteriæ ramificationibus, pulmonum per substantiam disseminatis, præcluso quoque aëris liberiori transitu, difficilis oritur respiratio cum tussi, asthma, peripneumonia, febre, &c. Sed unde hoc? Certè, multum huc facit refrigeratio capitis, pectoris ipsius, imo etiam pedum,  
alia



aliarumvè partium, quia humores inde redduntur vi-  
 scidi & spiffiores, adeoq̄ propter tenacissimam indolem  
 excreari aut resolvi nequeunt; vid. *Praxis Bartholini in  
 prolegomenis*. Temporis vero progressu magis magisque  
 accrescunt, deterioresq̄ fiunt, & in pus mutantur hu-  
 mores: Pulmones ulterius inflantur, intumescunt, in-  
 flammantur, corrumpuntur: Tussis augetur & urget  
 diu noctuqve; noctu vero ut plurimum frequentius  
 vexat ægrotos, ita, ut totam ferè noctem continuis  
 celebrare necesse habeant vigiliis non sine notabili vi-  
 rium jactura. Materia quotidie ejicitur modo cruda,  
 modo cocta, pus & sputa sordida summo sæpissime cum  
 fœtore, quem adstantes perferre vix possunt, quorum,  
 ut *Aretæus Lib. I. de signis & causis diuturnorum morborum Cap.  
 VIII.* loquitur, *infinita propemodum sunt species, lividorum, atro-  
 rum, purorum ac sincerorum, aut pallido alboqve, aut albo & viridi  
 mixtorum, latorum, rotundorum, glutinosorum aut raro disfluen-  
 tium, aut odore carentium, aut fœdè olentium.* Et hæc sunt,  
 quæ cum aliis, (quæ tamen omnia hic adduci nequeunt)  
 verum ac sæpissimè funestum producunt ulcus, quod  
 aliquando partem aliquam pulmonum, partim totum  
 quandam lobum, partim verò totam illorum substan-  
 tiam, corrumpit & absumat, ita, ut ægris demortuis  
 præter materiam purulentam ac saniosam nihil de vera  
 pulmonum observetur substantia, prouti hoc ex fre-  
 quenti cadaverum humanorum sectione innotescit.  
 Evidens hujus asserti testimonium & veritatem fidelis-  
 sima atqve candida ex relatione Amici cujusdam fami-  
 geratissimi, dilectissimiqve percepi, quippe qui varios  
 istiusmodi ab ulceribus affectos vidit. Ipsemet horum  
 fidei tesseram adjicio frequenti ex cadaverum inspecti-  
 one,



one dissectioneque, quibus præterita hyeme in theatro, quod Berolini floret, Anatomico interfui. Quid jam de hujus ulceris eventu sit prædicendum, & quomodo curationem subeat, facile ex supra recensitis colligi poterit, quod nimirum ita sit constitutum, ut, nisi recens adhuc, rarissimè, imò nunquam, curationem admittat perfectam. Et, si quæ spes cujusdam haurienda est curationis, palliativa saltem locum habet, quæ mediante subjecta, præprimis quæ 31, vel 35 annum jam superavere, superstites manent diu, vitamque per multos annos protrahere possunt: valetudinarii tamen manent.

## §. XV.

Ex supra §. XIII. & alibi adductis ulcerum generibus quædam specialius jam afferre & explicare libet. Et primo quidem omnium fere crudelissimum in scenam producimus, quod *Cancer* vulgo nomine venire solet. Distinguitur illud in *occultum* & *exulceratum*. Prius ita est comparatum, ut sapissimè, imò semper diu & rectè à multis pro tuberculo quodam sub cute latitante habeatur; Subjecta etiam ita affligit, ut per annorum quoque spatiarebus præesse queant suis: at enim vero progressu temporis virus suum satis demonstrat. Posterius istiusmodi est naturæ, ut omnia remedia, omniaque tam Medicorum, quam Chirurgorum, dexterrimorum etiam, illudat consilia & labores, multi licet de specificis, quibus brevi tempore curationem polliceantur, jactabundè gloriantur. Exulceratus hicce cancer comamode iterum distingvi poterit in *exulceratum internum* & *externum*. *Internus* dicitur, qui obsidet palatum, pancreas, vesicam urinariam, intestina, uterum, &c.

B

Externo



*Externo* omnes ferè corporis partes, præsertim autem labia, nasus, collum, artus, &c. in sexu vero sequeiori mammæ, pudenda, obediunt. Audit vero cancer Auctoribus à figura, quia sæpissimè canceri repræsentat istiusmodi ulcus figuram pedesque; partem quoque affectam penitus tandem corrumpit & absunt, maximo cum detrimento ægrorum, quorum plurimis exitialis esse solet. Exempla quotidie sunt obvia, & mihi met ipsi in Theatro Berolinensi Anatomico inspicere licuit virum, cujus tota maxilla sinistri lateris ad verticem usque erat corrupta; plura ut taceam. Causas & signa ulceratus habet cancer cum reliquis ulceribus rebellibus ferè communia; & facile prædici poterit, quid de curatione sperandum. Resiqua, quæ hic proferri possent, videantur apud Auctores illos, qui ex Instituto de hoc morbi genere scripsere, & inprimis *Cl. Dn. Stablii Dissertatio de Cancro, quæ Tomo III. Dissertationum habetur.*

## §. XVI.

Haud nunc inconcinne Fistulæ rebellium adjiciuntur ulcerationum numero. Sunt enim tales, quæ angustia sua, longitudine, sinuositate & callositate rebellem suam naturam ita ostendunt, ut nullo prorsus modo sæpius tolli aut curari queant, sin recentes adhuc, & æger sit juvenis, præcipuè si corporis impuritatem & humorum pravorum copiam habeant conjunctam. Dantur equidem fistularum genera, facillimo quæ tolluntur negotio, remediis æquè convenientibus atque sectione, quæ optima curandi est methodus, unde à multis quidem pro ulceribus, aut non rebellibus, habentur: Sed, paulo si accuratius naturam ac differentiam perli-



perlustramus, certè rebellia admodum sunt ulcera: & hoc propter sinuositates & callositates, quas formant temporis ob diuturnitatē. Porro tales existunt fistulæ, quibus ob situm & locum nec remedia, nec manus Chirurgi applicari possunt. Cognoscuntur vero dictæ fistulæ in genere stylo quodam argenteo (germanicè dicitur: eine Sonde / unde dicunt: sondiren,) vel virgula plumbea, vel etiam mediante fistula, aut siphone, quibus ipsa pro fistularum differentia diversimodè utimur, discimusque, quæ sint *simplices & composite*, quæ *obliquæ, profundæ & aliæ*. Mediante etiam stylo certiores reddimur, num sicca, an vero humida sit fistula, seu multasanie & humore acri referta. Si caries fistulis est conjuncta, qua ipsum os aggressa est putredo, asperum & ad tactum inæquale percipitur, ac pus effluens nigrescit, & mali est odoris. Quid circa fistularum prognosin sit notandum, quæ, & quomodo curationem admittant, ex supra allatis facile innotescit.

§. XVII.

Ossa corrupta, sive cariem, maximum ulceribus afferre incrementum, cum ex supra jam dictis constet, liceat jam brevibus allegare, quid scilicet sit caries. Est autem caries erosio ipsius ossis, seu partium solidarum duriorum, ab acrimonia humorum dependens. Causas & signa cum reliquis ulceribus rebellibus agnoscit communia. Quid vero circa curationem agendum, & quomodo instituenda, infra patebit.

§. XVIII.

Mentionem supra cum fecimus Exulcerationum tibiarum, quod scilicet quædam ad rebellia referri queant ulcera, non possum, quin de illarum crudelitate



pauca L. B. offeram, ut patefiat, quam accuratè, & quam cum industria maculæ, etiam leviffimæ, funt observandæ tibiarum. Sunt itaqve exulcerationes tibiarum tales, quæ leviffima quoque ab inflammatione, præfertim post Eryfipelata frequentius pedes infestantia, ortum ducentes, iftiufmodi ægris excitant cruciatum arctiffimam ob carnis cum periofteo coherentiam, ut fæpiffimè, quo fe vertant, nesciant. Causam fi defideras, certe non datur alia præter fupra §. V. VI. & VII. de rebellibus ulceribus generatim allatas. Hæ, nifi mature iis succurratur, quotidie non tantum fumant incrementa, & partem affectam corrumpunt, fed & post callofa incurabilia inducunt ulcera.

§. XIX.

Hæc funt L. B. quæ ad genuinam rebellium ulcerum curationem instituendam in genere de iis præmittere volui. Reftant quidem multa, de quibus merito huc quidquam referre potuiffem, fed, quum facile ex fupra allatis quisquam colligere poterit, quid circa quodlibet rebellium ulcerum genus notandum; & ne præter neceffitatem rem cumulare videar, iufte fentio hæc omnia prætereo, enixe rogans, velis adire alios tam Theoreticos, quam Practicos, Chirurgoſ æquè ac Medicos, *Dolaum, Sennertum, Heifterum, Purmannum, le Clerc,* & alios. Jam ad Curationem.

§. XX.

Veram rebellium inchoaturus ulcerum curationem, fedulo & anxie circumſpiciat ad cauſas, ſymptomataq; concurrentia, ita, ut non ulceri convenientia adhibeat tantum medicamenta, fed & ſymptomata, qua fieri poterit dexteritate, auferat. Sordes ac materiam fanioſam,



osam, omni, qva potest, tollat diligentia, *digerendo* & *abstergendo*. In hoc enim totus ulcera saniosa & fat rebellia curandi consistit nervus, præmissis tamen generalioribus internè adhibitis, qvo faciunt *leniter laxantia* & *purgantia*, ut & *sudorifera* seu *bezoardica*.

## §. XXI.

Remedia *laxantia* & *leniter purgantia*, qvæ saburram & materiam peccantem in primis viis adhuc hærentem, & unde præprimis vitium humorum existit, è corpore eliminant, effectumqve satis laudabilem præbent, sunt rhabarbarina, aloëtica, folia sennæ S. S., Sal Epshamentis, cremor & crystalli Tartari Extractum panchymagogum Crollii, fumarizæ, absinthii, Cardui B., refina jalappæ, qvibus grj vel alterum mercurii dulcis addi potest pro rei necessitudine, sed admodum cautè. Cum successu etiam adhibentur pilulæ Stahlianæ & Beccheri polychrestæ.

## §. XXII.

Remedia, M. S. & humores *temperantia*, *diluentia*, ut & *bezoardica*, sunt potus aqvæ calidæ, Thee, Coffee, decoctum hordei cum Scorzonera & cornu cervi raspatio, decoctum lignorum, Arcanum duplicatum, Tartarus vitriolatus, Nitrum depuratum & antimoniatum liqvor terræ foliatæ tartari, Lapides cancrorum præparati, corallea præparata, conchæ præparata, cinnabaris nativa & antimonii, cornu cervi ustum & Philosophicum, Ebur sine igne, antimonium diaphoreticum, Sal volatile cornu cervi & succini, liqvor cornu cervi succinatus, spiritus bezoardicus Buffii, Essentia alexipharmaca Stahliani, succini, pimpinellæ albæ, Lignorum, Balsami Peruviani, Tinctura antimonii acris, tartari,



Diaſcordium Fracaſtorei, pulvis bezoardicus communis & Sennerti cum ſtomachiis & aquis bezoardicis. Omnia vero hæc allata ratione affectus, temperamentorum, ſexus & ſymptomatum, moderantur.

§. XXIII.

Remedia externa triplici deſumuntur ex fonte, Chirurgico nempe, Pharmaceutico & Diætetico. Ex Chirurgia prodeſt aliquando V. S. revulſoria, licet non ſemper, Scarificationes, fonticuli, quibus sæpe reſtituuntur ægri: impediunt namque & revellunt copioſum humorum ad ulcera affluxum. Ex Pharmacia conveniunt *repellentia, reſolventia, detergentia & ſarcotica.*

§. XXIV.

*Repellentium & reſolventium* ad claſſem referuntur commode ſaturnina, bolaria, & inde parata epithemata cum albumine ovorum. Succum vel aquam plantaginis, roſarum, ſolani, centumnodia, boni Henrici, burſæ paſtoris, radices iridis flor., ſigilli Salomonis; Flores chamomillæ utriusque, ſambuci, anethi, meliloti, &c. Imbuantur hæc vino calido, leniterque expreſſa ſacculis inſuta imponantur ulcери. Principem ſibi prorfus vendicat locum ſpiritus vini camphoratus vel per ſe, vel cum aqua calcis vivæ miſtus, ut & ſpiritus vini ſolus.

§. XXV.

*Detergendo* officium faciunt ſuum rad. Apii, ireos florent., ariſtologia utriusque, plantaginis, agrimonia, anagallidis, & quæ parantur ex ſuccis apii, abſinthii, farina hordei, orobi; Gummi Elemi, Aloës, thus, myrrha, maſtix, lignum gvaſiacum & cortex ejuſdem. Sirupus de roſis ficcis, mel roſatum, baſſamus peruviaus, mercurius præcipitatus ruber, unguentum felicis Wurtzii,



Wartzii, de nicotiana, Apostolorum, Enulatum, Ægyptiacum, &c. Emplastrum Diapalmæ, diasulphuris Rulandi, & alia. Imprimis vero spiritus vini in putridis ac rebellibus ulceribus detergendis & mundificandis egregiè prodest, qui propterea reliquis admiscendus est medicamentis.

## §. XXVI.

Commemorata hæc medicamenta votis si non respondeant; & si mala præter spem & opinionem exasperantur, substituantur & iis pulvis radicis Cyperi aut marrubii; herba sabinæ, scordii; aqua divina Fernellii, aqua viridis Hartmanni, aqua mercurialis ejusdem ex mercurii sublimate uncia semis & aquæ Persicariæ vel Plantaginis libra una semis paratum, vide *Praxin Chem. Hartmanni pag. 383.*; Lixivium ex cineribus saporum & sarmentorum vitis, decoctum Poterii pro ulceribus sordidis, &c. Ut probatissimum ad gangrænam, omnia vulnera, & ulcera insanabilia laudatur medicamentum in *Tract. Joh. Ernesti de oleis chemicè destillatis*, Balsamus Saturni, cujus conficiendi modum vide sis in adducto tractatu, qui annexus est *Praxi chemicæ Hartmanni*; it. oleum & Essentia sulphuris; *ibidem* Essentia hæc est secretum Theophrasti, qua usus esse dicitur in externis incurabilibus corrodentibus ulceribus & fistulis, vel morbi gallici cicatricibus; vide plur. de hujus essentia virtutibus *pag. 565.* adducti Tractatus.

## §. XXVII.

*Sarcoticorum* classem exornant exsiccantia & digestiva, ut sunt thus, olibanum, myrrha, minium, lithargyrium, cerussa, Tutia, Aloës, Sarcocolla, farina orobi, lupinorum, fœnu græci, rad. ireos florent., Aristologia rotundæ



rotundæ, unguentum Basilicæ, Diapompholigos, Apofolorum. Balsamus vulnerarius Hartmanni, Arcaei, bals. Copaivæ, Sulphuris; Essentia myrrhæ & aloës, oleum myrrhæ per deliquium, oleum ovorum. Addi & his possunt Emplastrum de lapide calaminari seu gryseum, Stipticum Crollii & Opodeltoch, it. empl. de ranis cum mercurio Vigonis, de Saturno: malaxentur cum olei Hyosciami gr. iij IV, vel q. s.

§. XXVIII.

Frustra vero hæc omnia si cedant, ulcus vel *callosum*, vel *fstulosum*, vel *caries*, *Cancer*, *vermes*, aut aliud rebellium genus extimescendum; quorum supra jam mentionem fecimus.

§. XXIX.

Agendum jam esset de speciali talium ulcerum externorum curatione; at vero, quum supra §. XIV. naturam ulceris pulmonum explicare placuit, præmittenda potius erit istius curatio. Conveniunt ergo hic, plethoricus si ægroti postulat status, ab initio V. S. revulsoria in pede instituta, quæ alias, sin adsit plethora, & debilis ægri natura aliud svadeat, planè omittenda, ne damnum potius quam levamen quoddam inducat; Scarificationes, & pedilavia. Ex Pharmacia nocent purgantia fortiora & drastringa; leniter vero laxantia, quibus abundantia & copiosus humorum affluxus revellitur & a parte affecta derivatur, cum fructu sapissime adhibentur, qualia sunt magnesia alba, folia fenne S. S., rhabarbarum cum infusione rosarum & sero caprino datum, item rhabarbarum cum passulis majoribus, aut conserva rosarum, jus galli antiqui, in quo manna fuerit soluta. Hæc vero pro circumstantiarum reiteranda sunt



sunt conditione, sed admodum cautè. Inter appropriata huic morbo proficua veniunt omnia vulneraria, absorbentia, lymphamque acrem edulcorantia & resolventia, inprimis locum habent decocta vulneraria ex millefolio, hyperico, glycyrrhiza, polypodio, pulmonaria maculosa, scabiosa, tussilagine, pimpinella, hysopo, & aliis, quibus addi possunt saccharata & mel crudum, quod valdè abstergit. Confici etiam ex his possunt species pro thea, quibus bis utendum interdum. Maximis quoque à Scriptoribus effertur laudibus decoctum ligni Gvajaci. Inter pulveres absorbentes numerantur lapides cancerorum præparati, Corallia præparata, Perlæ & mater Perlarum præparata, conchæ præparata, succinum præparatum, cornu cervi philosophicum, quibus cum miscenda sunt salia neutra, nitrum, &c. Insignem quoque laudem merentur pulveres Richteri solares, & gummata, ammoniacum, galbanum, &c. Addi & his interdum possunt, præprimis si dolor urget & ægros vexat punctorius & vigilæ, opiata, & quidem in parcissima dosi. Commodè quoque cum absorbentibus miscentur sperma ceti & pulveres pectorales ex radice irid. florent., flor. sulphuris, succino, &c. item Cinnabarina. Profunt etiam electuaria ex conserva rosarum, & antea nominatis confecta, quibus addi potest sirupus de symphyto Fernelii, & alia. Refractè proderit aliquando Essentia succini cum spiritu salis ammoniaci & spiritu bezoardico Buffii. Summatim vero scias, affectum hunc ut plurimum morbum esse incurabilem, plurimosque morti tradere ægros; vide *Cl. Dn. Stablium in Dissert. de incurabilibus affectibus* §. 37-38. & 39., ut & *Sennertum in 2<sup>o</sup>. An Ulcera Pulmonum sint sanabilia?*



*Uilna?* Prolixius etiam de hoc ulcere legi poterit *Ner-  
terus in Praxi sua, & Sennertus Lib. II. Praxeos Part. II. Cap.  
XII.*, ubi, quomodo hoc ulcus sit tractandum, luculen-  
tissime patebit.

## §. XXX.

Quemadmodum supra in specie quædam pertra-  
ctare placuit ulcera *externa*, ita specialis eorum jam  
addenda erit curatio, & primo quidem loco de cancro  
erit agendum. Diximus vero cancrum esse duplicem  
§. XV. vel *Occultum*, vel *Exulceratum*, secundum quam  
distinctionem duplex nunc instituenda quoque erit cura-  
tio: altera *occuli*, altera *exulcerati*. At enim vero,  
melius cum sit cancrum occultum relinquere incur-  
tum, quam incertis & malum deterius reddentibus re-  
mediis inchoare curationem, juxta *Hippocratis Sect. VI.  
Aphorismum 38. Cancros occultos omnes melius est non curare;  
curati enim citius intereunt, non curati longius tempus perdu-  
rant*: merito cum illo sene abstinemus ab ulteriori cura-  
tionis fallibilis recensione. Sunt equidem, qui plena-  
riam occulci pollicentur extirpationem, præsertim si  
tumor adhuc sit parvus, quem mediante sectione totum  
tolli posse putant, ut *Heisterus, Scultetus, & alii*. Sed,  
si minima etiam tumoris istius particula, aut glandula  
quædam scirrhusa remanet, malum deterius redditur,  
& in ulceratum mutatur. At vero transeant hæc, fol-  
liciti potius erimus de cancro exulcerato. Cancer *exul-  
ceratus*, qui e. gr. *mammæ* occupavit *feminarum*, &  
substantiam pectoris musculosam haud tetigit, com-  
modè per amputationem *mammæ* curatur. Institu-  
enda autem ista est amputatio cultello falcato hancce ad  
operationem parato, à parte inferiori superiora versus,  
propter



propter vasa sangvifera, quæ ultimo loco sunt dissectanda, alias ob hæmorrhagiam, quam inducunt, successum operationis infelicem portendunt. Ut verò operatio hæc eo melius succedat, ægra convenienti detinenda est situ, brachium illius lateris retroducendum; mamma, quæ fieri potest dexteritate, manu Chirurgi prehenda & attollenda est sinistra, ne muscoli lædantur pectorales. Facta operatione fluxus sangvinis cohibendus est vel acu filo ornata, vel pulvere quodam stiptico ex vitriolo & aliis adstringentibus parato; vulneri linteamina imponantur carpta. Digestivis denique & sarcoticis finis imponitur curationi. Internè propinanda sunt antiscorbutica & anthypochondriaca e. c. decoctum lignorum; infusa ex cochlearea, fumaria, nasturtio aquatico, &c. it. cinnabarina cum absorbentibus & nitrosis. Reliquarum partium exulcerationibus cancris externè profunt pulveres absorbentes & saturini, qui non putrefaciunt, nec mordicant partem affectam, sed moderatè siccant & refrigerant, v. g. minium, lithargyrium, saccharum saturni, crySTALLUS montana præparata, &c. quibus adde myrrhata & terebinthinata in spiritu vini rectificatissimo soluta juxta Nenterum. Summis etiam in curandis hiscè affectibus effertur laudibus sal fuliginis à Schrödero in Pharmacopœa Medico-Chemica Lib. IV. Classe II. *Præstantissimum, inquit, est curativum in cancro exulcerato, si in cella solutum cancris ulceribus semel ac iterum inungatur, venenositas instar vaporis visibiliter extrahitur. Tandem oleum crassius leni adstergine sæpius illitum crustam instar cuticula supra inducit, quæ sponte spatio 5. vel 6. dierum decidens, ulcus consolidatum esse indicat. Hæc vero, quousque quadrent, cujuslibet propriæ relinqvo*



lingvo experientia: Plura vide apud *Sermertum*, *Heisterum*, & alios. Me iudice plurimæ cancroſæ exulcerationes, præſertim internæ, manent inſanabiles.

## §. XXXI.

Fiftula *recens* adhuc, non nimis profunda, in loco carnoſo & corpore juvenili curatur 1. *Purificatione*, ope ſcilicet digeſtivorum, & linteis carptis. 2. *Compreſſione*, comprinendo partes inferiores carnoſas verſus ſuperiora. 3. *Injectione* medicamentorum, v. gr. unguento digeſtivo, melle roſ. & ſpiritu vini, it. decocto ſcordii, abrotani, vel elixirio proprietatis, eſſentia myrrhæ, &c. 4. *Sectione*, de qua, qvomoſo inſtituenda ſit, videatur *Heiſterus in Chirurgia*, & alii. *Inveterate* contra & profunda admodum, ad arterias, nervos, tendines & articulos ſeſe extendentes, curatu ſunt difficillimæ: imo ſæpiſſimè incuratæ relinqvuntur. Ceterum medicamenta, qvæ in genere ad ulcera maligna ſananda commendavimus, locum & hîc habent, præmiſſis tamen internè abſtergentibus & leniter purgantibus.

## §. XXXII.

Cariem offium ritè curaturus duplici id intendat, neceſſe eſt, modò, *medicamentis* ſcilicet, & *ferro*. Inter *medicamina* huic malo convenientia laudantur, qvæ exſiccando offis humiditatem præternaturalem abſumunt, os vero ad ſecernendum cariolum diſponunt, qvalia ſunt radix Dracontii, Peucedani, Ariſtolochia, Cortex Pini & ligni Gvajaci, myrrha, Aloës, maſtix, thus, &c. Fortiorum præcipuum eſt pulvis & Eſſentia Euphorbii. Pulvis hic parti offis læſæ ad plenariam uſque corruptæ partis adſpergitur conſumptionem; Eſſentia vero mediante penna, vel alio qvodam inſtrumento



mento adaptato applicanda est. Multum etiam hūc faciunt oleum Cinamomi & caryophyllorum, aqua Phagedænica, spiritus vitrioli & sulphuris. Carie tunc soluta, proderunt balsamica, e. gr. Essentia mastichis, myrrha & Aloës, Balsamus Peruvianus, &c.

## §. XXXIII.

Ferro si quis profundiores ossis corruptionem abigere gestit, triplici id incipiat methodo (α) *Perforatione* sive *trepatione* partis corruptæ ad sanam usqve. Communiter huic operationi inservit instrumentum quoddam quadrangulare acutum, quo utimur cranium trepanando; vel aliud conveniens. (β) *Scalpratione* sive *rasione*, quæ fit scalpris & lima tenui. (γ) *Cauteris*; adhibeantur modo instrumenta & cauteria ritè parata, cavendum tamen est, ne caro vicina simul aduratur. Sunt ergo cauteria per fistulas ferreas, quibus caro defendatur; applicanda, quarum plures in promptu habere oportet, ut, postquam incaluit una, altera frigida applicetur. Post usionem ad inflammationem prohibendam & dolorem leniendum, ulceri imponatur oleum rosaceum cum vitello ovi; Ossi vero ipsi pulvis radice aristolochiæ rotundæ, Euphorbium, vel aliud ex antea recensitis medicamentum applicandum. Laudatur & succus boni Henrici ad ramenta ossium secernenda. Deniq; Sarcoticis & supra laudatis medicamentis occludenda sunt ulcera cariola.

## §. XXXIV.

Tantum de ulceribus rebellibus speciatim; plura colligi possunt ex *Sennerto*, *Doleo*, *Heistero*, *Purmanno*, & aliis. Restat itaqve, ut de tertio nunc curationis fonte, Diatam intellige, proferamus quædam.



§. XXXV.

Posita est vera omnium ulcerum rebellium Diæta non in regimine tantum cibi & potus ; sed omnes res sex Non-naturales anxie & cautè sunt observandæ. Conveniunt itaqve aër temperatus , cibi evchymi ac potus tenuis, e. gr. Juscula avenacea & hordeacea, carnes gallinacæ, agnina, avium, &c. Loco potus ordinarii proderit decoctum lignorum, hordei cum scorzonera & cornu cervi, &c. Nocent omnia nimis salita & acida, fumo indurata & leguminosa ; item mœror & tristitia, motus nimius, vigiliæ, alvus adstricta diu. Verbo : omnia humorum corruptionem conciliantia sunt fugienda.

§. XXXVI.

Hæc sunt, L. B., quæ de quibusdam ulceribus rebellibus scribere animus fuit. Superest, ut summo hujus universi, Macrocosmi & Microcosmi Conditori immortales clementi pro suo auxilio agamus gratias ; Summis infimul precibus ab eo contententes, ut omnia dirigat in nominis sui gloriam, miseri proximi levamen & usum. Faxit DEUS per CHRISTUM Medicum Summum, cui nullus in seculorum secula.

**FINIS.**





Nobilissimo atqve Charissimo

DN. JOH. DANIELI CRÜGERO,

S. D. P.

JOHANNES LEMBKE,

Med. Doct.

**O**mnis evi experientia satis evicit ac comprobavit, à veritatis via  
 hand deflexisse Medicorum illum principem Hippocratem,  
 quando statum eorum, qui sanitati mortalium & reparande, &  
 conservande, suam gessunt consecrare operam, hisce expressum repræ-  
 sentavit verbis: Fama, & nomine dantur Medici plures, re vero &  
 opere pauci. Non opera duco pretium, prolixiora hic fecisse verba pro-  
 fide, dicerio huic concilianda. Sane plurimi cæco involant impetu in sci-  
 entiam Medicam, EXPERIENTIA solida & RATIONE, validis simis  
 quippe ejusdem presidis, destituti, cerebrum contra variis speculationibus  
 mirum in modum fatigantes, aut ad auctoritates, placita & aserta alio-  
 rum anxie confugiunt. Putaverim ego quidem, quod mali hujus origo  
 à perversa illa studiorum methodo, quam plurimi in Academiis sectantur,  
 sit omnino rectissime derivanda. Quod si namque in illorum rationes  
 paulo studiosius inquisiveris, deprehendes, quod de vera theoria Medica  
 parum solliciti, vias ad certam ac facilem praxin sibi reddant impeditas,  
 imo observant omnino. Ut ne vero rei rerum adeunda sint discrimina,  
 sedulo caveat theoria medica, viam quippe medendi securiorem commo-  
 strans. Que dum ita sese habeat, justissime quidem omnium illi suis con-  
 sulum rebus, qui cunctas ingenii sui vires in hoc convertunt, ut in RATIO-  
 NALES evadant MEDICOS, qui hunc sibi scopum habent præfixum  
 ac constitutum, ut ea, que occurrunt quotidie, & experientia magistra  
 hauriantur, ad principiorum Physicorum & mechanicorum regulas, nec  
 non motus leges, exigant. Theoria igitur solida & praxis ætiori si jun-  
 gantur vinculo, præstans quid & egregium denique resultat. Patet inde,  
 quam turpiter plurimos decipiat grave illud præjudicium, bonum Theo-  
 reticum malum esse Prædicum. Ad metam itaque medicæ scientiæ  
 exopta-



exoptatam qui graſari, ſi via incedet iuſſima, qui ad eandem  
 aditum ſibi pandit per phyſica doctrine & anatomia ſtudia. Hac namque  
 egregium in modum ornant, inſtituunt ac perficiunt medicum. Quibus  
 contra preſidiis niſi fuerit munitus, grauiſſimis expoſitus eſt erroribus,  
 incertiſq; opinionibus in tranſverſum agitur, neſciens, ubi tandem pedem  
 figat. Scio equidem, quod plures non dubitaverim, Medicinam ſummæ,  
 & neſcio cuius incertiſſitudinis, vel inde poſtulare, quod ſepe deſiciat in  
 morbis omnino curandis, hiſque non raro omnem Medicorum operam  
 eludant. Varia hinc cumulari ſolent mala, quæ rebellem præ ſe ferunt  
 naturam. At enim vero, extendunt ſibi ulterius, quam ſas erat, fines  
 remediſſorum, ſuis ſiquidem limitibus circumſcriptorum. Suo hic deſun-  
 ctus eſſe officio Medicus erit cenſendus, ſi circumſpecta remediſſorum appli-  
 catione morborum illorum refractariſſorum inſultus quodammodo repreſ-  
 ſerit pariter ac ſuſſaminaverit. Quæ omnia, dum mecum volup ac cogito,  
 Nobiliſſime DN. CRÜGERE, non poſſum, quin ſtudioſum tuorum rati-  
 ones, quæ hæcæum inſigni cum nominis gloria ſtrenne excoluiſti, publice  
 commendem, poſtquam ſcientia medica ſcopum ut feliciter attingeres,  
 nullis laboribus peperciſti. Hauſta enim Gryphiswaldia ejuſ præcepta,  
 Berolini magis firmaviſti, quo Te facile pertraxiſti florentiſſimum illud, quod  
 nuper ibidem fuit erectum, Collegium Medico-Chirurgicum. Ipſe  
 ſenties, quantum lumen Tibi fuerit ſubortum, poſtquam Tibi contigit,  
 pluribus cadaverum diſſectionibus intereſſe, atque illis curioſius inveſti-  
 gandis Ipſemet manum admoviſti. Hiſ itaque præſidiis inſtructus, dum  
 Theoriam cum præxi conjungere jam jam mediſſaris, nullum plane dubio,  
 quin in generis humani commoda olim fructus ſis prolaturus amplifiſſimos.  
 Eſt dehinc votorum meorum ſumma, ut ſupremus ille ſalutis humane  
 auctor atque arbiter, gratie ſue radios tuis conſiliis adfulgere patitur,  
 Tibique vires animi & corporis conſtantes velit largiri clementiſſime.  
 Vale.

Dabam è Muſeo die XI. Novembr.  
 Anno M.DCC.XXIV.

os (o) (so





(1706-25)

Greifswald, Diss., 1706-25

ULB Halle  
005 372 038

3




56











B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1724, 2 32

Q. D. B. U.

DISSERTATIO  
Medico-Chirurgica Inauguralis,  
DE  
**CURATIONE  
ULCERUM REBEL-  
LIUM.**

Quam,  
Consensu Gratosiss. Facultatis Medicæ,  
in Inclyta Gryphiswaldensium Academia,  
P R Æ S I D E  
*VIRO Pra-Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo  
atque Experientissimo*  
**DN. IOH. ABRAHAMO  
MAYERO,**

Medic. Doct. & Profess. Ordinario optimè merito,  
Gratosissimæ Facult. Med. h. t. DECANO,  
*Dn. Patrono atq. Promotore maxime observando,*  
pro

Summis in Arte Medica Honoribus, Insignibus & Pri-  
vilegiis Doctoralibus rite capessendis,  
*Anno M DCC XXIV. d. XXVIII. Nov.*  
*publico Eruditorum Examine submittit*

**JOH. DANIEL CRÜGER, Plat. Pomeranus.**

G R Y P H I S W A L D I Æ,  
Litteris DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,  
Reg. Acad. Typogr.